



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

V. Apostoli & Evangelistæ Beatam dicunt; quia facta est illis Magistra &
Exemplar prædicandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Sed ut Iudæos simul expediamus, apponemus hic de quo *Canisius lib. 2. de B.V. cap. 7.* Et ait contigisse circa annum Christi 1220. Honorio III. Pontifice & Friderico 2. Imper: Ferdinando Rege Castella apud Toletum, quod licet nesciat cuius sit Authoris, venit tamen in manus Iudæi, qui vineam dilatando rupem perfregit, in cuius medio librum invenit, Græcâ, Latinâ, atque Hebræâ scriptum linguâ, qui de triplici mundo ab Adamo procedente ad Christum differebat, & de initio tertij mundi hoc habebat. In tertio mundo Filius Dei nascetur ex Virgine Maria, patieturque pro hominum salute.

Speciale quoddam *Ernestus Archiep. Pragensis* advertit, quod scilicet DEUS adhuc in veteri lege Virginis natalem mandaverit observari, sed rem totam verbis ejus proponamus. Ita ille *cap. 6. Mariæ*: Maria dicitur nova Luna, id est mirabilis, dissimilis & multum dispar & distans ab ista, quam videmus, in claritate, in stabilitate, in quantitate, in sublimitate. Buccinate in Næomenia tuba, dicit Dominus, id est in novilunio. Nunquid Mathematicus est Dominus, ut jubeat adorare solem, aut lunam, aut stellas? absit. Sed qui digito suo scripsit in tabula: Honora Matrem tuam, fecit quod docuit, & qui dedit, & quando dedit legem hanc honoravit Matrem, præcipiens ut singulis mensibus fieret festum suæ venturæ Nativitatis, maxime in næomenia mensis Septembris, significans illo mense illam fore nascituram. Si ergo Iudæi rebelles & increduli, etiam adhuc toties in anno Nativitatem Dominæ nostræ devotissimè celebrant, licet quid faciant igno- rantes, manifestè patet quomodo ipse Legislator velit, quod nos qui eam accipi- mus in Matrem & Dominam, non verbo & linguâ, sed corde & animo, & toto af- fectu mentis Christo canamus gloriam in solennitate excelssæ Genitricis, & ideo tubis corneis in næomenia buccinari præcepit.

5. Apostoli & Evangelistæ Beatam dicunt, quia facta est illis
Magistra & Exemplar prædicandi.

Testis hujus rei *Eusebius Emis. hom. de Purif.* Nisi ipsa verba Filij conservasset, non ea haberemus, de ejus namque thesauris nos ista accepimus, quæ enim de Christi pueritia leguntur, à SS. Virgine accepta leguntur, quæ non modò verba ista, sed & Pastorum, Magorum, Simeonis & Annæ condidisse in corde dicitur; mirum quæ aliquando revelaret. *Et serm. 2. de Nativitate Dom.* hanc acclamationem facit ad Virginem. O Mater Sapientissima, ô sola talis Filij dignissima! quæ omnia verba hæc ideo in corde suo conferebat, nobisq; conservabat, & memoriz commendabat, ut postea ipsa docente, ipsa narrante, & nunciante scriberetur, cunctisque nationibus nuntiarentur. Ut enim *6. revel. 58. tradit S. Brigitta.*
Christus

Christus Dominus adhuc puer cum Matre habitans, multa illi arcana aperiebat, quod non solum putandum est, ut eam magis illuminaret, sed et alios per illam. Inde ut *S. Vincent: Ferrer: serm: de Nativ. Domini* dicit. Virgo Maria melius sciebat Biblia. Ideo *Leo Imper. hom. 6.* eam vocat Elegantissimum scripturæ Divini Verbi Volumen. *Novarinus autem lib. 4. elect. num: 314.* docet. Quod S. Iohannes illa sublimia à Virgine didicerit. Sed & reliqui omnes Apostoli ab ore Virginis penderunt, ab ea quæ docerent accipiendo. *Lucius Dexter in Chronico Anno Christi 34.* Sacra Virgo consilio, luce doctrinæ, & mirabili vitæ exemplo præfider Collegio Apostolico, nihilque grave gerunt illi, quod non ejus consilio ductuque gerant.

Quod confirmat *Arnold. Carnot. tract. de 7. verbis* ad illud. Mulier ecce Filius tuus, Matrem adhuc volens hic ad consolationem Apostolorum reservare superstitem, ut ex his quæ ipsa ab initio & audierat, & viderat, & contulerat in corde suo, Senatus Apostolicus doceretur.

Unde illi acclamat *Rupert. lib. 1. Comm. in cant.* O Beata Maria & Magistra Magistrorum! id est Apostolorum, juxta illud: *Fons horticorum, Puteus aquarum viventium (Cant. 4.) quæ fluunt impetu de Libano.* An quia Spiritus S. illos docuit idcirco tuæ vocis ministerio illis opus non fuit? imò vox tua vox illis fuit Spiritus Sancti; quidquid supplementi opus erat iisdem mortalibus, vel testimonij ad confirmandos singulorum sensus, quos acceperant, ab eodem Spiritu dividente singulis prout vult, ex religioso ore tuo perceperunt.

Idem docet ibidem quod illa in primo illo Concilio Ierosolymitano Apostolorum quæstiones concluderit. *Nam sic ille: Tu Princeps Virgo omnem solvisti quæstionem, ita tamen ut non clamares, neque contenderes. Et lib. 3. in Cantico* hanc Virginis dignitatem in hunc modum exclamando extollit. Tanquam malum panicum in medio tintinabulorum, tu præcipue fuisti Virgo Virginum in adjutorio vel etiam in regimine prædicantium Apostolorum, cujus etiam verba non audiuntur ubi prædicaverunt, opera tamen vel merita non ignorabantur, non minora imò majora tinitu prædicantium.

De docendi munere ejus, & quod Evangelia scribenda dictaverit, clare *S. Bernardus hom. 4. super missus.* Decuit ut ab Angelo Virgo potius quam ab homine mysterium disceret, nè Mater à consilijs Filij aliena videretur, & ut ipsa rerum tempus, & ordinem melius tenens Scriptoribus & Prædicatoribus Evangelij refereret veritatem, quæ planè de omnibus à principio cælitus fuerat instructa mysterijs. *S. Theoban. Episc: Nicenus in Men:* monet hoc ipsum de Virgine fuisse Prophetis revelatum, cum ait *25. Jan: ode 6.* Te ô Virgo Mater præviderunt Prophetæ tanquam librum quendam planè intaminatum, in quo conscriptus esset citus *Dei.* Quin etiã *Jan. 20. ode 3.* Divinorum Vatum asserta, tu ô sola inter omnes be-

nedicta, velut sigillo authoritatis tuæ firmasti, cum pareres Verbum, quod loquebatur per illos.

5. *Bernardus* in hanc rem sic habet alicubi. De hac, & ob hanc & propter hanc, omnis Scriptura facta est, imò totus mundus; quia ex ea Verbum Dei caro factum est. Et *Basilius Seleucus orat.* 39. ita de Virgine nostra loquitur. Paradisus florentissimus Virginitatis, in quo lignum vitæ factum produxit fructus omnibus salutare, & ex quo Evangeliorum fons, in quatuor ora factus, miserationum flumina credentibus diduxit. Idcirco *Greg. Neoces. de Annunc.* Cunctas quidem festorum solennitates, atq; hymnodias decet nos sacrificiorum instar offerre Deo, primam autem omnium Annunciationem SSmæ Dei Genitricis, verbis illis comprehensam, *Ave gratiâ plena*, quæ ab Angelo ad eam facta est, quoniam est prima sapientiæ & salutariæ doctrinæ in novo testamento, illa nobis salutatio à Patre luminum emissa est. Neque solum docuit, sed etiam conservat scripturam, ita *Richard. à S. Laur. lib. 12. de laud. Virg.* Resina cedri quæ de intus erupens exterius apparet in cortice, & significat mundiciam virginitatis, libros conservat à vetustate & tineis, si inde perungantur, quia Sacram Scripturam conservat. B. Virgo à tineis, id est hæreticis, & vetustate, quia gratiam largitur maximè diligentibus se, quæ Scriptura Sacra de die in diem melius intelligatur, ipsa enim relevat profunda de tenebris, & cum sit Doctrina disciplinæ Dei, amicos Dei & Prophetas, id est Sapientes constituit, & ita non permittit veterascere Sacram Scripturam. Hinc *Cyrillus Alex. hom. 6. contra Nestor.* Salve inquit per nos Deipara, Sceptrum rectæ doctrinæ.

Hactenus ostendimus quòd S. Virgo fuerit Magistra Apostolorum & Evangelistarum, eos doctrinam Evangelij edocendo, jam incipiamus declarare quomodo exemplum prædicandi illis, gentesque ad fidem adducendi dederit. Atque in hanc rem facit locus *Isaiæ 40. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. Paulus Burgenfis legit.* Tu quæ evangelizas, per hoc intelligendo Mariam, nam juxta *Richardium in 1. sent. dist. 16. q. 2.* Ipsa Divinissima Virgo non solum habuit Sapientiam & Scientiam prout sunt dona gratiæ gratis datæ secundum habitum, sed etiam secundum actum earum ipsaque docuit multas utriusque sexus personas per verba & scripta, id est epistolas, sicut & S. Ignatium, imò & B. Lucam Evangelistam, de multis secretis & Incarnationis mysterijs, quæ ipse præ cæteris descripsit Evangelistis, creditur instruxisse. Quotidie quoq; seu tempore oportuno edocuit felicissimum illud Collegium centum viginti Virginum, ejus obsequio atque regimini deputatum.

Hoc ipsum *B. Brigitta* Virgini attribuit *orat. 1.* In hoc mundo Filius tuus

M

multis

multis annis te permanere permittit, & tunc per tua prudentissima verba, gestus honestissimos, & opera virtuosa innumerabiles Judæos & Infideles Paganos, ad Catholicam fidem convertit. Unde à *S. Ignatio epist. ad Joannem* vocatur nostræ Religionis Magistra. *A Ruperto lib. 1. in Cantic. Magistra Magistrorum.* *A. Ephrem de laud. V. Spes Apostolorum unica.* *Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.* Summa Divinorum oraculorum Idea. *Orat. in salut. Ang. Præconium verissimum inæstimabilem Dei oraculorum.* Idem *orat. 2. de Assumpt.* Declaratio occultorum & profundorum Divinæ incomprehensibilitatis. *Rupert. lib. 4. in Cantic.* Sacrarium Scripturarum Sanctarum. *Bonav. in laud. B. Virginis.* Verus Liber legis. *Gregorius.* Receptaculum supercælestis lætitiæ & mysteriorum omnium. Rursus ab *Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.* Volumen novi testamenti à Deo scriptum. Ab *August. serm. 2. de tempore.* Magistra gentium. Iterum à *Ruperto lib. 1. in cantic.* Magistra Religionis ac fidei. *A Buteo: in hymno.* Os fertilissimum Apostolorum. Ab *Hugone de s. Victor. serm. 47.* Balsamum mundum universum opinionis optimæ redolentiæ inæstimabiliter adimplens. Ab *Anselm. alloq. cel. 21.* Candelabrum in medio mundi. Et adhuc ab *Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt.* Propugnaculum fidei Christianorum. *A S. Germ. orat. de zona B. V.* Spiritus & Vita Christianorum. *Ambros. de Instit. Virg. cap. 7.* Aula cælestium Sacramentorum. *S. Germ. orat. de Nativit. B. Virg.* Sigillum novi & veteris testamenti. *Ibidem.* Supplementum clarissimum totius Prophetiæ.

Concludat *Bernardinus tom. 2. serm. de B. Virgine.* Ioannes in Apocalip. De Throno ait, scilicet de Maria *procedebant fulgura, & voces, & tonitrus,* quæ Mater Filij Iesu Christi; parabolas, ænigmata, legalia, mirifica gesta, dicta, opera, avidius ebibit, fidelius credit, sincerius, luculentiusque alij edidit.

6. Beatam item dicunt Mariam Apostoli & Evangelistæ.
Quia maximo post Deum cultu dignam
censuerunt.

Quanto affectu in Særam Virginem ferebantur Apostoli, cæterique Domini Discipuli verbis exprimere admodum difficile est. Habebant enim hunc singularem erga S. Virginem affectus stimulum Apostoli, quia ut docet *Ubertinus relatus à Cartagena lib. 4. de laud. Virg. art. 16.* Per tantæ Matris suspiria & orationes (Spiritu S.) cælitus afflari atque impleri meruerunt.

Clariss